[…]quitur. Cui olim loquebatur per umbras, nunc nobis [...]
[cla]rissimam loquitur lucem. Cui olim ignis erat, populi
peccata consumens, hodiè populi peccata remittit. Cæterum,
sive natus nobis sit Natalitiô illô die, sive babtizatus (diversa
siquidem hac de circumfertur opinio), perinde est: Sufficit n[am]
nobis nosse, ad æternam salutem Salvatorem natum, na-
tum nobis eundem esse ad sempiterna gaudia. Non quidem ne-
cesse id Dei filius habebat, ut nasceretur, ut baptizaretur:
ex solo id Dei Patris in nos fiebat amore: utpote qui Ex-
cellentissimam hanc Excellentiarum omnium Excellentiam,
[…]ert, Nativitatem Filii sui, contingere nobis permise-
rit. Exultemus igitur, inque humeris nostris victoriarum
[sig]illa portemus! Signa gratiæ portemus in frontibus nostris:
[qui]bus conspectis contremiscunt aliàs Diaboli. Vos verò
Commilitones dulcissimi, considerate ac paullò penitius
circumperpendite: quanti cæteris Nativitatibus CHRISTI
hæc Nativitas præstiterit. Neminem n[am] adfore puto, quem
in admirationem, imo in stuporem præstantia illa et Excellentia
non rapiat: præprimis ubi, adhibita in consilium ratione,
secum animo perpendit: quàm operosè gloriosissima SS.
Trinitas, operi huic, operi incarnationis vacaverit. Id
verò quia meum omnem transcendit captum, Theologis te-
disserendum relinquo. Hoc unum tantummodo, corollarii
cujusdam locô, adjiciens: Excellentiam Nativitatis
Dominicæ Matrem quoque augere. Quid? Nonne et ex-
cellens hoc, quod virgo, et ejusmodi quidem virgo, quæ
regio Davidis stemmate oriunda, Messiam nostrum pe-
perit.

Certè et ipsi doctissimi quique viri, stupendô
Nativitatis mysteriô ita obstupuerunt: ut Mariam
θεοτόκον vocare haud dubitarint. Nec verò audiendi
[…]icolæ hi sunt: qui stupore eodem abrepti: ut
Virgini Divinitatem quandam asserere, inque consortium
SS. Trinitatis ipsam trahere haud vereantur, non am-
plius Trinitatem ipsi, sed Quaternitatem impiè statuentes.
Et cur audiretur blasphemum hoc dogma? Refutavit